



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Bracaren. Archiepiscopo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

tenfis Concilij tantum hi quatuor inveniuntur inter Episcopos Gallæciæ nominati, sicut dicitur in secundo Concilio Bracarenfi, patet quod de his quatuor debet intelligi quod ad nomen provinciæ sunt reducti, quia non possunt intelligi fuisse reducti, nisi qui fuerunt abducti. Vnde facta reductione in tertio Concilio Bracarenfi, quod secutum est Emeritense Concilium, nullum istorum quatuor legitur extitisse. Postquam igitur hæc & alia fuerunt utrinque prudenter ac subtiliter allegata, quorum multa propter prolixitatem superflua in hac pagina prætermisimus annotare, partes ad amicabilem compositionem induximus diligenter: quæ tandem per Dei gratiam, nostra sollicitudine mediante, ad hanc compositionis formam libera voluntate venerunt, ut de quatuor prædictis episcopatibus duo assignarentur Compostellan. metropoli, & duo relinquerentur metropoli Bracarenfi. Nos autem habito super hoc cum fratribus nostris diligenti tractatu, compositionem ipsam duximus approbandam, intelligentes eam æquitati canonica concordare. Cum enim Visensis Episcopus cum Episcopis Gallæciæ interfuerit secundo Concilio Bracarenfi, & Emeritensi Concilio non affuerit, in quo plenus suffraganeorum numerus Emeritensis metropolis legitur affuisse, (unde nec potest unus de reductis intelligi, cum etiam inter alios suffraganeos Bracarenfis Ecclesiæ in suis privilegijs numeretur, in privilegijs autem Compostellan. Ecclesiæ Visensis Episcopus nullatenus habeatur) sæpeditum Archiepiscopum Bracarensem nomine Bracarenfis Ecclesiæ ab impetitione tua, nomine Compostellanæ Ecclesiæ, super eodem episcopatu duximus absolvendum; tibi super hoc perpetuum silentium imponentes. Lamecensem autem & Egitanensem episcopatus, quos ad Emeritensem pertinuisse metropolim certis didicimus rationibus & validis argumentis, de consilio fratrum nostrorum adjudicavimus Compostellanæ metropoli, ipsum Bracarensem Archiepiscopum super illis nomine Bracarenfis Ecclesiæ condemnantes. Episcopatum autem Colimbriensem, licet eisdem rationibus cognoverimus ad Emeritam spectavisse, quia tamen Iriensis episcopatus auctoritate sedis apostolicæ subtractus est ec-

clesiæ Bracarenfi, & sede mutata, pro beati Iabobi reverentia totus concessus est Compostellæ, in recompensationem ipsi Archiepiscopo & Ecclesiæ Bracarenfi concessimus perpetuo retinendum. In tantum autem illa forma compositionis tibi complacuit, quod pro bono pacis liti cessisti, & petitioni renuntiavisti omnino, super duobus Ecclesijs, videlicet sancti Fructuosi, & sancti Victoris, & medietate Bracaræ cum pertinentijs suis omnibus, de quibus cum alijs fuit facta commissio, refusans quicquid juris in illis habuisti vel potuisti habere, renuntians quoque sententiæ quæ super eis pro Compostellana Ecclesiæ contra Bracarensem fuerat promulgata, super qua coram nobis aliquandiu fuerat litigatum. Nulli ergo &c. diffinitionis, absolutionis, & concessionis &c. Datum Laterani.

In eundem ferè modam scriptum est Bracaren. Archiepiscopo.

BRACAREN. ARCHIEPISCOPO.

Q Valiter veteres sed non inveteratas usque ad nostra tempora quaestiones inter Compostellanam & tuam Ecclesias tam prædecessorum nostrorum quam nostris etiam temporibus diutius agitatae non sine multa sollicitudine ac labore nos & fratres nostri exacta diligentia curaverimus terminare, tua fraternitas, quæ omnibus præfentialiter interfuit, non ignorat, & hoc ipsum ex rescriptis apostolicis rei processum plenius continentibus liquido declaratur. Volentes autem ut apostolicæ sedis sententiæ perpetuam obtineant firmitatem, & quod lites extinctæ in recidivam contentionem ulterius non resurgant, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus statutis apostolicæ sedis obediens humiliter & devotè, quæ à nobis ad perpetuam pacem prædictarum Ecclesiarum sunt sine personarum acceptione salubriter instituta, de cetero studeas irrefragabiliter observare, venerabiles fratres nostros Vlixbonensem, Elborensem, & Lamecensem Episcopos, & eorum Ecclesias, & dilectos filios Clerum ac populum per Egitanensem diocesim constitutos, Compostellano Archiepiscopo & ejus Ecclesiæ, sicut à nobis est ordinatum, obedire sine qualibet difficultate dimittens, quos tu & venerabilis frater noster Colim-

*Epist. 114.
Ejisdem ab
guntani.*

briensis Episcopus in nostra & fratrum nostrorum presentia, sicut bene novisti, ab obedientia vestra vinculo absolvistis, & nos eosdem a vestra obedientia debito auctoritate apostolica reddidimus absolutos. Provideas igitur ne per potentiam regiam vel alia qualibet machinatione impediatur Episcopi memorati & predicti Clerus & populi obedientiam secundum sententiam & preceptum nostrum eidem Compostellano Archiepiscopo, ut praediximus, exhibere. Alioquin quod a sanctae recordationis Alexandro Papa praedecessore nostro de obedientia Compostellano Archiepiscopo ab Episcopis Gallaciae impendenda dignoscitur olim fuisse statutum, verendum est tibi ne nos ipsi ratum habeamus & firmum, & faciamus auctore Domino inviolabiliter observari, tantoque culpam inobedientiae curabimus gravius castigare, quanto in contemptum apostolicae sedis & personae nostrae specialiter huiusmodi rebellio amplius redundaret. Datum Laterani IIII. Idus Iulij.

In eundem modum scriptum est Colimbriensis Episcopo.

VLIXBONENSI, ELBORENSI, & Lamecensi Episcopis, & Clero & populo Egitanienfi.

*Epist. 135.
Decadem 1c.*

Antiquas controversias & difficiles inter Compostellanam & Bracarensem Ecclesias tam praedecessorum nostrorum quam nostris etiam temporibus agitatae, sicut vestra fraternitas non ignorat, non sine labore multo nos & fratres nostri exacta diligentia per auxilium divinae gratiae curavimus terminare, quemadmodum in rescriptis apostolicis processum causarum plenius continentibus perpendere poteritis evidenter. Volentes autem ut apostolicae sedis &c. usque ad verbum observare, venerabili fratri nostro P. Compostellano Archiepiscopo ejusque successoribus tanquam Metropolitanis vestris, sicut alij suffraganei sui faciunt, obedientiam & reverentiam debitam impendent. Alioquin sententiam quam idem Archiepiscopus in vos rationabiliter tulerit, auctore Domino ratam & firmam habebimus & faciemus inviolabiliter observari. Ut autem quae praemisimus liberius adimplere possitis, venerabiles fratres nostri Bracarenfis Archiepiscopus & Episcopus

Colimbriensis vos coram nobis & fratribus nostris ab omni obedientiae suae vinculo absolverunt. Nos etiam ab ipsorum obedientiae debito auctoritate apostolica vos reddimus absolutos. Datum Laterani IIII. Idus Iulij.

Scriptum est super hoc singulariter singulis nominatis Episcopis, & Clero & populo per eorum dioeceses constitutis.

LVCENSI, ASTORICENSI, Mindoniensi, Auriensi, & Tudensi Episcopis.

Antiquas controversias &c. usque ad verbum resurgant, fraternitati vestrae per apostolica scripta praecipiendo mandamus quatenus apud venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum Bracaren. & charis. in Christo filium nostrum Portugal. Regem illustrem partes vestras efficaciter interponere procuratis ut statatis ap. se. &c. usque ad verbum observare, venerabiles fratres nostros Vlixbonensem, Elborensensem, & Lamecen. Episcopos & eorum Ecclesias &c. ferè in eundem modum ut supra usque ad verbum dimittentis. Alioquin quod a sanctae recordationis Alexandro Papa &c. ferè ut supra usque ad verbum redundaret. Et quoniam nuncius, ut accepimus, non facile reperitur, qui litteras apostolicas vel Compostellani Archiepiscopi audeat super his in regnum Portugalen. deferre, sub eadem districtione vobis injungimus ut litteras nostras & ipsius Archiepiscopi Compostellani, quibus super hoc missae fuerint, occasione & excusatione cessante, sine dilatione qualibet tamdiu fideliter transmittatis, cum ab eodem Compostellano simul omnes vel seorsum singuli fueritis requisiti, donec idem Archiepiscopus praedictorum quatuor episcopatum possessionem pacificam fuerit assecutus. Si verò, quod non credimus, praecceptum nostrum non fuerit adimpletum, volumus & mandamus ut cum fueritis per Compostellanam Ecclesiam requisiti, veritatem super his nobis significare vestris litteris procuretis. Datum ut supra.

Epist. 136.

ARCHIEPISCOPO ET CAPITVLO Compostellano.

Cum dilectus filius A. civis Anagnini tutor & curator nepotum suorum, filiorum quondam G. civis Anagnini

Epist. 137.

H h h iij